



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Affinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

IOAN. ALOYSII RICCI

Viri Patricij Neapolitani,

PRAXIS RERVM QVOTIDIANARVM
ECCLESIASTICI FORI.

TOMVS TERTIVS.

PRAXIS AFFINITATIS.

RESOLVTIO PRIMA.

- 1 *Consanguinei contrahentes scienter incidunt in excommunicationem.*
- 2 *Clem. 1. de consang. & affin. in quo habeat locum.*
- 3 *Quid inspiciatur in excommunicatione.*
- 4 *Clem. 1. habet locum non solum in contrahente sed eorum in sponalibus.*
- 5 *Quare Summi Pontifices vtuntur in dispensationibus illis verbis à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, &c.*
- 6 *Concil. Trident. non exprimendo penam excommunicationis non videtur recessum à penis antiquis.*

An Clement. vnica de Consanguinit. & Affinit. quoad infirctionem penarum sit sublata per dispositionem Concil. Trident. sels. 24. can. 5. de reformat.



Espondeo tales sic scienter contrahentes in excommunicationem incidisse iuxta text. vulgatum in Clem. 1. de consanguinitat. & affinit. vbi in glos. in vers. contrahere, dicit penam illius decretalis habere locum etiam in sponalibus quando sponalia per carnis copulam sunt consummata, vt quia ibidem non puniatur coitus, vel incestus sed contractus, qui dicitur factus per eandem copularem coniunctionem transeuntem in matrimonium argument. cap. veniens, & cap. is, qui extra de sponalibus. Matt. de Afflict. §. bona contrahentium incestas nuptias numer. 4. & 5. quæ sunt regal. nouissimè Marc. Ant. Cuccus institut. Canonic. lib. 3. tit. 10. vers. sed qui, & Ioan. Philipp. in resp. 49. num. 25. maxime cum eo casu intercessit copula non pro incestu & coitu, vel fornicatione, sed intentione maritali, de ista, excommunicatione agit plane Plebartus de Tensuar. in Rosario Sacre Theologiae lib. 4. cap. excommunicatione 5. §. 109.

- Ille enim animus subsequuta copula carnali facit
- 3 maleficium excommunicatione dignum, in excommunicatione enim incurrenda inspicitur intentio, siue factum, quam intentionem inspicere debere probat text. in cap. si verò il secundo de sententia excommunicat. siue inspicimus factum, de quibus promiscuè gl. in d. cap. si verò, & post eam Simon. Maiolus de irregular. lib. 5. cap. trigesimo octauo num. 4. semper iudicio meo excommunicatio incurritur, cum in actus huiusmodi explemento concurrat intentio, & factum, vt omnes inspiciunt, omnis enim copula subsequens contractum venit accessorie ad matrimonium iam dudum de facto presumpsum, sine enim illo contractu præuio illi concubitus censentur fornicationes, stupra,

Aloys. Ricc. Praxis. Pars III.

adulteria, incestus, & similia, vt aduertit Anch. in dicta clem. prima num. 5. vers. 3. pro hoc.

- 4 Ampliatur vt pena excommunicationis contenta in d. Clem. prima non solum habeat locum in contrahente scienter matrimonium, sed etiam sponalia postmodum per carnis copulam consummata. Anton. de Butr. Panor. Præposit. & alij in dict. cap. & si necess. Bald. Nouell. de dote par. 11. column. 12. Didac. Conarruias de sponal. cap. 9. nu. 20. quem sequitur Franc. Viuius com. opin. §. matrimonium contrahens vers. amplia secundo, & Iul. Clar. in §. incestus n. 10.
- 5 Et propterea non sine causa Ecclesia, & Summi Pontifices pro tempore existentes in rescriptis, & dispensationibus matrimoniorum vtuntur illis verbis, à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & penis à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendarum harum serie absolutes, & absolutos fore censentes, vt tollatur omnis excommunicationis nexus, & tollatur etiam scrupulus, de quo per Ludouic. Roman. in cons. 307. in casu vbi concludit Papam dispensantem censeri etiam absolueri ab excommunicatione, quem sequitur Alfonso Aluarez. in Specul. Roman. Pontif. cap. 18. col. 1. vers. 6. & Nicol. Boer. in consil. 20. nu. 26. ad quod faciunt notata per Ioan. Andr. in d. clem. 1. de consanguinit. & affinit. dicentem, quod si Papa dispensat, cessant omnes penæ; refert. & sequitur Marth. de Afflict. in d. §. bona contrahentium, & incestas nuptias. num. 2.
- 6 Non obstat quod in Concil. Tridentino non sit expressa pena excommunicationis, quæ est in dicta Clem. & sic in iure antiquiori, quia responderetur non per hoc intelligi recessum à penis antiquis cap. attendendum 17. q. 4. l. quoties. ff. de action. & obligation.

RESOLVT. II.

- 1 Affinitas morte vxoris inter virum, & vxoris consanguineos & sic inter generum & socerum dissoluitur, nisi quoad matrimonium impediendum.
- 2 Priuilegium veniæ petende introductum affinitatis intuitu cessat affinitate soluta.
- 3 Affinitas durat quatenus matrimonium extat.
- 4 Compromitti causa non debet inter quondam socerum, & generum ob mortem vxoris matrimonio dissoluto, statuto stante quod cause inter affines compromittantur: idem si questio foret inter prinigium, & nouercam mortuo patre.
- 6 Volens admitti ad aliquod beneficium tanquam affinis soluto matrimonio admitti non debet.
- 7 Affinitatis effectus omnes sublatis sunt matrimonio soluto.
- 8 Socrus generum in ius absque venia vocare nequit matrimonio & affinitate durante.
- 9 Furti permittit lex per pupillum contra nouercam matrimonio soluto.

A 10 Pri-

10 *Privilegia introducta in reuerentiam focrus an affinitate dissoluta remaneant.*

Affinitas quo ad præbendum impedimentum matrimonio an dissoluatur per mortem.

1 **R**esolutio sit quod affinitas soluta penitus nempe extat inter virum, & consanguineos vxoris, & consequenter inter focerum, & generum, vt est tex. in l. cui eorum. §. affinitates. ff. de post. nisi quod matrimonia impedienda. §. affinitatis vers. locum quoque inst. de nuptijs vbi tex. expedire quippe ait, quod dissoluta denum affinitate procedit, quæ professio iura stabiliter canonizata discernuntur, in c. tria sunt vers. affinitates 3. q. 7.

2 Et hinc est, quod si soluta est affinitas cessare meritò quidem debet privilegium veniæ petende intuitu affinitatis introductum, text. & glos. notabilis, & singularis in l. sed hoc ita in vers. succurrendum. ff. de re iudic.

3 Et proinde vtiliter & opportunè protulit Bart. in d. l. cui eorum. §. affinitatis, quod affinitas eatenus durat quatenus durat matrimonium.

4 Vnde si statet statutum in ciuitate, quod causæ inter affines compromittantur pro vt hodie in Regno stabilitum extare videtur per Regiam pragmaticam, odia, quæ inter coniunctos, si matrimonio dissoluto morte vxoris contingat litem oriri inter quondam focrum, & generum illa causa nullatenus tunc compromitti debet, quia hoc intelligi debet affinitate durante, vt ibi per Cauensem in commento sub num. 37. Bald. Paul. Cast. & alios vniformi consensu omnes in d. l. cui eorum. §. affinitates. Alexander in l. generaliter. nu. 1. ff. de in ius voc. Bald. & Saly. in l. fin. C. verb. sing. vbi non lentè, & saporatè quidem explicat quod dissoluto matrimonio non dicitur amplius verè, & propriè focrus, cum filia sit mortua, quæ erat radix huiusmodi affinitatis, pro quo extat optimus etiam tex. in l. 3. §. fin. C. de donat. inter virum, & vxorem vbi mortua vxore nō dicitur amplius focer, sed quondam focer, eandemque sententiam firmavit quoque idemmet Bald. in l. affinitatis in fin. C. communia de successione. vbi concludit quod mortua vxore sopita est re ipsa affinitas quoad omnia præterquam quoad matrimonia impedienda, quia affinitas ipsa consumpta pro nullo habetur.

5 Et ideo si quæstio foret inter priuignum, & nouercam, mortuo patre, causa non deberet compromitti, vt per Bald. in loco antesignato, & per Anchar. in rep. cap. canonum statuta in 14. q. vers. quero vterius de verbo consanguinei asseuerantem, ibi, quod mortua filia verè, & propriè non potest amplius dici appellarique focrus dissoluta affinitate. Et pro eadem sententia non prostratè nimirum facit quod voluit Paul. Cast. in l. rei iudicatæ. §. focero in fine. ff. solut. mat. quod si aliquis vult admitti ad aliquod beneficium, tanquam affinis matrimonio dissoluto admitti nullatenus debet, quoniam censetur dissoluta affinitas, vnde inter focerum, & generum mortua vxore causa compromittenda non est, vbi Alexand. in fin. quidem verbis planum facit, quod tex. in §. affinitatis inst. de nup. procedit tantum quo ad hoc, vt sciamus vtrum matrimonium hoc contrahi queat, non autem quoad alios effectus affinitatis, quia tunc procedit glos. in d. l. sed hoc ita. ff. de re iudic.

Ecce igitur quod præcitati doctores serenè quidem firmant, quod focrus dissoluto matrimonio nullum potest prætere privilegium, seu effectum ratione affinitatis in præiudicium tertij, quantoque magis etiam petere poenam veniæ non petita a quondam focru, quæ tempore litis motæ non erat focrus, sed quondam focrus, vt supra offensum extitit, eandemque

sententiam amplectitur. Zas. in §. penales. n. 22. inst. de act. ac exprimit quoque communem Alex. in d. lege sed hoc ita, quam legit cum l. non tantum quæ illam præcedit. col. fin. vbi etiam refert quod pro ista sententia tanquam magis communi alias consuluit in casu fortiori, si mulier perseueraret in viduitate, quod adhuc minimè gentium polset implorare beneficium, statuti, vt causa tanquam inter affines compromittatur, & huicmet opinioni assentitur quoque las. in d. l. sed hoc ita, quam legit cum l. sicut autem, quæ immediate illam præcedit col. fin. vbi finaliter concludit

7 quod omnes effectus affinitatis sunt sublati matrimonio, & affinitate soluta præterquam quoad impediendum matrimonium prædictum per notat. ibi per gl. quam omnes doctores aiunt etiam singularem in iure, sed verè habet confirmilem videlicet in affinitates 3. q. 1. in verb. affinitatis quæ vult quod defuncto altero ex coniugibus dissoluta est affinitas quoad omnes alios effectus, præterquam quoad matrimonium, impediendum ratione publicæ honestatis.

Et ideo protulit in proprijs terminis nostris Aretin. magister præd. in §. affinitatis in vit. not. inst. de nup. quod licet focrus non possit in ius vocari a genero sine venia l. generaliter. ff. de in ius vocando, tamen illud sincerè quidem locum sortitur matrimonio, & affinitate durante, non autem finito matrimonio ipsa morte vxoris, & eidem opinioni acquiescit etiam Mar. Soc. in tract. de citat. in 20. art. 1. q. col. 5. vers. 11. in nouerca, vbi exprimit quod pro ista sententia, quod soluto matrimonio focrus possit conueniri venia non petita extat casus in terminis in l. de his C. de furt. sic illam ingeniosè inducendo, nam focrus, & nouerca, ideo non possunt in ius vocari venia nō petita quippe quia loco matris sunt, vt habetur in d. l. generaliter in d. §. affinitatis inst. de nup.

Contra quas quidem personas non datur vlllo pacto actio famosa in tantum quod tunc agi debet venia petita ad hoc, vt prætor discernat ante citationem vtrum actio intentata famosa sit ne sigillet perstringat, atque attentet famam matris, focrus, seu nouerca, quæ facilius loco matris sunt, & ideo ius introduxit quod prius agatur venia coram prætore petita, qui tenetur discernere vtrum venia sit concedenda vel non, vt inquit tex. in l. sed hac lege. §. prætor ait. ff. de in ius voc. sed nos videmus quod contra nouercam matrimonio dissoluto lex permittit furti per pupillum, & sic actione famosa per text. in d. l. de his C. de furt. & ita concedit ibi Odo. cum dissoluto matrimonio dissoluta videatur affinitas concludendo in effectu, quod in tali casu agitur venia non petita.

Ceterum per ista conuincitur doctrina Alex. in l. generaliter ff. de in ius vocand. quod ea falsa quippe sit volens, quod affinitate dissoluta remaneant privilegia introducta in reuerentiam focrus, quia pace tanti viri dixerim, est detestabiliter contra tex. glos. in l. sed hoc ita. ff. de re iud. & in l. rei iudicatæ. §. focero. ff. solut. matrimonio, quia vt conueniatur nisi in quantum facere potest est introductum in reuerentiam focri, & tamen dissoluto matrimonio cessat privilegium affinitate soluta, vt habetur in iuribus præmemoratis, & sentit Alex. in illis locis sibi contrariis volens quod cessent omnes effectus affinitatis præterquam quoad matrimonium, præterea quod non conueniatur actione famosa, minimè introductum est in reuerentiam focrus, & nouerca, & tamen soluta affinitate agitur actione famosa, vt explanat Mar. Soc. in loco antesignato maxime quia est glos. singularis, & ab omnibus approbata in dict. l. sed hoc ita.

(662)

RESO-

RESOLVT. III.

- 1 Affinitas contrahitur in multis casibus & primo ex commixtione seminis ex parte viri & quæ.
- 2 Item si causatur commixtio seminis viri intra claustra.
- 3 Semen mulieris necessario non concurrit ad generationem.
- 4 Intellectus ad text. in c. lex diuina. 27. q. 2.
- 5 Commixtio seminis ubi dubium est, an sit facta deficienti probatione sufficit presumptio quod, cum facti sint vna caro, facta sit commixtio.
- 6 Si commixtio seminis erit in dubio aliter iudicabitur in foro exteriori & aliter in foro interiori.
- 7 Muliere emittente semine, non autem viro licet agitauerit, non contrahitur affinitas.
- 8 Quid dicendum si semen receptum intra claustrum fuerit eiectum.
- 9 Matrimonium consumitur quando cum claustrum sit adeo arctum & cum virinitus agitare non potuerit semen emissum recipitur ab eod.

An ad contrahendam affinitatem requiratur vtriusque seminis seminatio.

IN præsentī questione distinguendæ sunt sex conclusiones, quarum prima est, quando vir carnaliter cognoscendo mulierem consumauit actum venereum ita quod ex parte vtriusque sit facta seminis commixtio, & tunc nulli dubium est quin affinitas sit contracta, vt doctores communiter tenent in c. fraternitatis de eo qui cog. conf. vxor. lue.

2 Conclusio est quando ex copula causatur seminis emissio tantum ex parte viri, non tamen ex parte mulieris, & tunc vera est opinio, quod sit contracta affinitas, licet Innocentius in dicto c. fraternitatis videatur dicere, quod ad affinitatem contrahendam requiratur commixtio seminum, tamen contrarium est verum, vt affirmat glos. Ray. cum Host. quem sequitur Abb. in dicto c. fraternitatis in sum. confell. eod. tit. q. 6. secundum fratrem Nicolaum ibi alias si dicemus quod ad affinitatem contrahendam requiratur commixtio seminum talis assertio esset periculosa inducens errorem, quia sententia communis tenet secundum medicos, quod semen mulieris necessario non concurrit ad generationem, sed sufficit seminatio viri tantum in vase mulieris, ita docet Sot. in 4. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. Hostiens. & Panor. in dicto cap. fraternitatis Guliel. Bened. in repet. c. Raynucius de test. verb. cuidam Petro tradiderunt. n. 17. Fed. de Sen. conf. 301. circa finem, quare vt dicit recte Panor. in dicto c. fraternitatis secundum Innoc. si ad causandam affinitatem necessaria esset commixtio vtriusque seminis sequeretur absurditas magna, nam pone quod per annum mulier non emisit, tamen conceperit ex semine viri, & peperit, absurdum esset dicere secundum Host. quod affinitas non sit contracta, & matrimonium non sit consummatum, & hæc intellige data habilitate ad contrahendum matrimonium, quamobrem Ecclesia Dei censuit, quod seminante viro in vase mulieris sit matrimonium consummatum, & contracta affinitas, & ideo opinio vt requiratur seminum commixtio ad contrahendam affinitatem est rejicienda cum possit inducere ad errorem, & animarum perniciem illos, qui putant non interfuisse impedimentum, ubi vera interfuit, quod crebro posset euenire in affinitate contracta ex fornicatione, & ita restat conclusio firma, quod ad causandam affinitatem, & vt dicatur matrimonium consummatum sufficit seminis emissio intra vas naturale ipsius mulieris, ita etiam videtur tenere Zamb. in clem. vnic. q. 13. de conf. & affin.

Solum restat, vt respondeatur ad canonem 27. q. 2. c. lex diuina ver. propinquitas, cui canon tenendo hanc opinionem responderi posset, quod ibi præmittit Aloys. Ricc. Praxis. Pars I II.

tur verbum, nullā, dicendo, quia nullam fecit sanguinis commixtionem; ergo dictum verbum commixtionem diuificatur propter adiunctam secundam nullam, vt sit sensus, quia ex nullius parte processerit sanguinis emissio, ita dicit Gaet. in repet. c. ad limina 30. q. 1. nu. 515. de sacram. matrimonij, ubi etiam dicit, quod cum hoc dubium sit an sit facta commixtio, & deficit probatio semper præsumitur quod facti sint vna caro, & commixtio facta sit, & contrahatur affinitas, vt notat Arch. in c. extraordinariam 35. q. 3. & in c. vnico de desponsat. imp. ver. subsequaturam, & sic etiam dixit Zamb. in clem. vnic. q. 14. de confang. & affin. quod si vir fregit claustra pudoris, sed non emisit semē quod non contrahitur affinitas si de hoc constare posset, sed quia in dubijs certior via est eligenda cap. iuuenis de spons. ideo aliter iudicabitur in foro exteriori, sed in foro conscientie staretur assertioni viri, & iudicaretur non esse affinitatem, quod notat Abb. de spons. c. is, qui, de quodam qui iacuit cum muliere multis noctibus, & natus est ad copulam, & fregit claustra, & semen non emisit: igitur ad contrahendam affinitatem requiritur, vt copula sit perfecta, hoc est vir intra claustra pudoris, & naturam mulieris semen emisit, quia tunc semen viri introgressum sufficit ad generationem, & contrahendam affinitatem, alias si vir in circuitu palpando semen emitteret, & intus non intraret secus esset, ita glos. in cap. nullum, & d. c. extraordinaria. Host. quem sequitur Panor. in dicto c. fraternitati, & ita est 3. conclusio quando semen viri fuerit receptum in orificio membri mulieris non tamen fuit receptum intra.

7 Quarta conclusio quando sola mulier emisit semen, & tunc licet vir agitauerit, seu immiserit membrum, si tamen non emisit semen intra claustra pudoris non contrahitur affinitas, quia ad causandam affinitatem non requiritur, quod mulier emittat semen, quia etiam si illa sola emittat nihil generaret, quia vt supra diximus secundum Medicos communis opinio est, quod semen mulieris necessario non concurrit ad generationem, ita Abb. in dicto cap. fraternitatis, qui ponit exemplum de frigido, qui potest agitando, & palpando inducere mulierem ad seminis effusionem, & tamen ex quo vir semen non emisit nullus dubitat, quin dici possit seminis, vel sanguinis commixtio, & ita non est contracta affinitas.

8 Quinta conclusio, quando vir seminauit intra naturam mulieris, sed mulier timens impregnari, subito eiecit semen viri, vel alia de causa semen emissum subito rejecit, & tamen licet alicui dicatur quod hic non sit contracta affinitas, quia sic semen viri non fuit aliquantulum tunc mixtum alicui particula, quæ sit intra claustrum pudoris: tamen Fed. de Senen. tenet hoc posse concedi si præsupponitur, quod semel solum in orificio membri mulieris sit receptum sic emissum, sed si semen viri receptum est intra naturam, dato quod emittatur, difficile est, quod in totū, vel in partem ibi non fiat aliqua seminis viri cum aliqua materia mulieris commixtio, siue sit menstruosa, siue sanguinea, qua propter cum illa dicatur sanguinis commixtio, merito dicitur contracta affinitas.

9 Sexta conclusio est quando vir emisit semen extra claustra, sed semen ingreditur intra, & tunc dicit Matth. quod consummatum est matrimonium, & per consequens quod sit contracta affinitas, vnde dicit hoc contigisse in Francia quod quidam contraxit cum arcta, & contigit, quod non fractis claustris impregnata est cum haberet modicum foramen, vnde ingressum est semen, & adueniente partu oportuit eam incidere, sed si non appareret de impregnatione dicit Matth. quod Ecclesia iudicaret eam virginem per aspectum, ita refert Zambran, in dicta clement. 1. quæst. 15.